UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adolescens Academicvs Svb Institvtione Salomonis

Musart, Charles

Dvaci, 1633

Proœmium secundum, ad eundem, de Academiæ Viennensis Antiquate, Nobilitate, Celebritate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49007

Visual Library

AD EVNDEM LECTOREM

DE ACADEMIÆ VIENNENSIS in Austria, Antiquitate, Nobilitate, Celebritate.

PROOEMIVM SECVNDVM.

ACademicvm Adolescentem natum, vestitumque iam abire in publicum iusseram: cùm hanc de Viennensi Academia narratiunculam adtexui: nolim existimes, Amice Lector, vesti integræ assutam temerè purpuram: primùm enim Academiæ isti mihi amicissimæ, in qua nunc publicum munus gero, & in qua Adolescentem istum partim educaui, partim exornaui, tantillum officij à me deberi arbitrabar: deinde non existimabam fore tibi ingratum, si Antiquissimam, Augustissimam & sanè Celeberrimam Aca-

Academiam, quæ optimè inſtituendi Gymnaſij exemplar ac forma eſſe poſſit, procul dubio longè ac latè famâ peruulgatam, ſed minùs tibi fortaſſis in cute notam, leui ſaltem ſtyli mei penicillo adumbrarem: id igitur nunc curſim agam: tu quæſo tantiſper conſiſte.

Viennenſis Academiæ incunabula poſuiſſe ſcribitur Fridericus II. Imp. vir, vt rei militaris, ita bonarum artium, multarumque linguarum ſcientiſſimus. Is quippe rebus maximis, terrâ marique confectis Conrado filio in futurum Cæſarem deſignato, muſarum primam ſedem Viennæ erexit, ratus eſſe perparum ſi orbis ipſi imperium relinqueret, niſi ſapientiam, quâ ad ſumma pertigerat, commendaret, ijſque Rempub. fundaret præſidijs, quibus Imperij Majeſtas, religio, pietas, magis ac magis indies efflorеſcerent: incidit iſtud in annum circiter 1237. id eſt, quadringentis propè retrò annis:

annis: quo ex tempore permissam fuisse Doctorum creandorum potestatem Volfanus Lazius medicus magni nominis, idemque Cæsaris Consiliarius, & Historicus, ex Friderici diplomate non obscuris indicijs deprehendit. Porrò constat statim à iactis fundamentis, per annos continuo octodecim supra centum, Viennensem Scholam, crescente sensim cum ætate famâ eruditis hominibus ita abundasse: vt iam tum apud exteras Vrbes ac Prouincias celebritatem sibi aliquam compararet: fecit ea res vt Albertus II. Dux Austriæ de nouo Gymnasio excitando, augendisque Professorum stipendijs cogitaret, accitique eam in rem Lutetiâ celebres duo Theologi, qui quod moliebatur Albertus auspicatò aggrederentur. Videbatur itaque Academia pueritiam iam tum suam euasisse: ea vt breui adolesceret, imperante Carolo IV. (qui & ipse literarum erat

Græ-

Græcarũ, Latinarũq; apprimè peritus) effecêre Alberti secũdi filij, Austriæ Principes Augustissimi, ac Duces, Rudolphus IV. Albertus III. Leopoldus II. qui ex singulari politiorũ disciplinarũ studio (quod Austriacis innatum, propriumque extitit) cùm Parentis demortui in ornanda Academia curas suscepissent; vt ipsis domestica esset atque intima, in Curiam quasi in suam familiam constitutis nouis sedibus aduocarunt, censibus ac priuilegijs locupletarunt: hominibus doctis suos Honorum gradus, virtutis & eruditionis seu incitamenta, seu præmia statui voluerunt: denique ne quid ad Reip. literariæ absolutionem desideraretur; viris in omni scientiarum laudumque genere præstantibus iussêre, ijsdem vt Academiam Viennensem informarent institutis ac moribus, quibus olim laudatissima Orbis Gymnasia, Athenis, Romæ, Parisijs claruissent. Ita quam

Fri-

Fridericus pepererat, natamq; educarat, Albertus II. ad primam Adoleſcentiam promouerat, tres Fratres germani ad maturitatem quandam perduxere, ſub annum 1365. eamque ob cauſam in hoc ferè tempus fundationem Academiæ nonnulli referunt, ſi de flore ætatis loquantur, non malè: quanquam octennio duntaxat Muſæ cum ſua Pallade Curiam tenuêre: cùm enim optimus Princeps Albertus, Rudolpho fratre mortuo, nemus potiùs, quàm Curiam Academiæ Athenis olim nomen feciſſe; neque parùm literarum otia negotiorum ſtrepitum conturbari aduerteret; Sapientiæ ædem in tranquilliorem ſalubrioremque aream, coëmpto ampliſſimo fundo, tranſtulit, auctis iterum cenſibus priuilegijſque denuò ſancitis; quæ ne in poſterum violarentur, vt ab Vrbano VI. Pontifice Maximo vim roburque acciperent, facilè perfecit ad annum 1384. quem

annum

annum tanquam Academiæ benè auſpicatum ac felicem, niueo dignum lapillo notari placuit: tunc enim hoc Gymnaſium Archiducale audijt, in quo duodecim perpetui Collegæ artes liberales ac Philoſophiam profiterentur, neque multò poſt ad Iuriſperitos & Medicos ordinarij quoque Theologiæ Magiſtri acceſſere.

Verùm vt cunæ Friderico II. Alberto II. prætextæ togæ honos, Rudolpho fratribuſque germanis iniens adoleſcentia, ita Friderico III. ætas Academiæ viridior, atque adeò ipſa Iuuentus adſcribi debet: eo enim Cæſare Academia, quæ ab Auſtriæ Archiducibus nata auctaque erat, ex optimis Grecorum, Romanorum, Francorumque legibus coaluerat, iamque Germaniæ ferè antiquiſſima habebatur, quaſi Viennæ prꝯcipuũ proſtaret Orbis Gymnaſium, iure quo optimo Viennenſe Archigymnaſium appellari, ipſiq;

Re-

Rectores Viennen. Archigymnasij Principes, Illustrissimo, Honorificentissimóque nomine vocari cœpere. Secutus est deinceps Friderici III. proles Maximilianus vir à teneris vnguiculis scientia & virtute instructissimus : sub quo verè aurea Academiæ tempora enituere, atque adeò robusta & virilis ætas, quæ iam non flores, sed decoctos fructus ex sese vberiùs profunderet. Creuerat propè ad summum Iurisprudentia, Medicina sese confirmarat, nulla pars iacebat Philosophiæ, etsi excelleret Mathesis: regnabat Syrenula Suada, Musæ omnes triumphabant. Cæsar enim nouo honoris incitamento Collegium Poëticum Academiæ adiecit, quintamque facultatem esse voluit, neque tantum Poëtas laureatos creandi potestatem permisit; sed ipsemet manu Imperatoriâ nonnullis doctarum frontium, frondem lauream imposuit, est is pileus è diuite materia,

argen-

argenteâ coronâ in formam virentis lauri redimitus vbi rami sese connectunt, lamina est amplior, in qua Imperatrix aquila sculpta visitur, cum Epigraphe, *Maximilianus*, cui hinc inde decenter assurgunt duæ breues inauratæ statuæ, *Phœbus*, *Pallas*; ea res ad boni facti memoriam in Academiæ tabulario asseruatur. Sed regina scientiarum in primis Theologia eo supra reliquas tempore, robur summum, maximasque suæ scholæ vires exerebat. Viennam venerat sui æui in Germania Phœnix Ioannes EcKius Doctor Ingolstadiensis, ingressus palæstram concertauit: tantam verò vir ille plurium palmarum pugil Viennensium eruditionem atque industriam sensit, vt liberè professus sibi Viennæ non parùm negotij obiectum, addiderit se in longa peregrinatione, quam ad varia loca disputandi causâ susceperat, nullibi se in doctiores acutioresque Theologos

logos incurrisse. suus cuique gradui honos non tantùm decretus erat, sed etiam habebatur. Professores linguas tres ex panno pallijs intextas gestabant, neque absque solenni habitu, eóque sanè magnifico publicas scholas ingrediebantur: Tyrones singularum facultatum, quorum septem octove millia vno tempore censa sunt, cingula; prouectiores ex illis cappas (sic enim vocant) alij & alij varia decora ostentabant, quibus ab imperita multitudine interstingui honorariqúe possent.

Peruenimus iam ad Ferdinandum I. antiquæ Religionis, reique per Germaniam restituendæ studiosissimum Imperatorem: nam Lutherana pestis ita tum longè ac latè tetrum virus euomerat, vt maxima eáque nobilior corporis totius pars fœdâ lue contabesceret. Is igitur anno 1533. Rex Romanorum Augustissimus cum prioribus sæculis

constitutas leges, confirmatáque à se priuilegia publicasset: vt Sacræ Maiestatis in Academiam voluntas orbi vniuerso patescceret, edicto per Prouincias promulgato omnibus studiorum causâ ad Vrbem appellentibus, summam tùm clementiam tùm immunitatem prolixè est pollicitus. Anno verò 1552. cùm Viennæ esset, in publico Prouinciarum consessu, de literis quæ cum Religione diffugerant, postliminio reuocandis, honoréq; scholæ redhibendo, grauissimam & disertissimam habuit orationem, dicendóque tantum apud suos effecit: vt pauperes centum, eóque plures è publico in Theologicis præsertim studijs per quinquennium educandos reciperent; quod exemplum secuti S. P. Q. Viennensis 25. etiam alios paris fortunæ, qui ingenio pollerent, in spem quoque publicam aluêre. Præclara hæc; sed tamen multò etiam magis Ferdinandus

posteaquam Carolo V. imperium ponente, orbis voce atque applausu, dictus acclamatusque est Imperator, reparandis Academiæ ruinis extinguendisq; Hæreseôn ignibus incubuit. Neque ad scopum studiumque Cæsareæ mentis parùm faciebat, quòd paulò antè sub annum 1550. vti è re literarum ac Religionis fore videbatur, id in Comitijs Augustanis agente Vrbano Labacensi Antistite, qui à Confessionibus Ferdinando erat, cogitatumq; actumque fuerat cum summo Pontifice, atque Ordinis Parente Sancto Ignatio de Societate Iesv in Vrbem vocanda. Venit anno sequenti ad sedem capiendam Claudius Iaius Subaudus ex Ingolstadiensi Academia, vbi Theologiæ Doctorem maxima cum laude egerat; ex Italia verò missi ab Ignatio accesserant, Nicolaus Lanoyus Belga cum 10. alijs è Societate. Iaius primarius Sociorum moderator in Academia

epistolam sancti Pauli ad Romanos explicare aggressus est, Magistrum Sententiarum Lanoyus; sed Iaium vnum è decem primis Ordinis Patribus, virum non eruditione magis, quàm virtute singularem, rebus plurimis in Germania pro Religione & Sapientia præclarè gestis, Deus breui è stadio, in aliam vitam eamque, vti spes est, beatam euocauit. Elatus itaque est magno Academiæ luctu ac honore, sepultusque in S. Nicolai, quæ tunc PP. Franciscanorum erat, sacrâ æde, quo etiamnum loco quiescit. Laudationem funebrem habuit Petrus Canisius Ingolstadio, vbi & ipse res maximas tractabat, Viennam à Ferdinando accitus, quem virum totius Germaniæ præclarum lumen Academia admirata primùm, mox etiam venerata est: is enim posteaquam Viennæ inter cætera Ferdinandi iussu Catechismum illum scripsit, qui etiamnum omnium propè

gentium

gentium auribus, lingua, manibus conteritur; è Societatis Collegio in Archigymnasium Viennense traductus facultatis Theologicæ Decanum egit, ac deinde (quod operosè multumque defugerat) permittente Ignatio coactus, post Fridericum Plausеum, Episcopatum Viennensem, per annum saltem, religiosè administrandum suscepit, dum alius suppeteret, qui sufficeretur. Ita Ferdinandus Academiam Hæreseôn, Bellorumq; vitio recisis neruis contabescentem, in pristinum auitæ religionis ac synceræ doctrinæ sensum & vigorem restituere vehementer studuit. Idque porrò maiori etiam studio egit, agitqúe adhuc eiusdem nominis & animi Ferdinandus alter, in lacerę Germanię recolligendo naufragio, literisque ab interitu vindicandis, nulli Cęsarum secundus, quem Deus Opt. Max. ex communi omnium bonorum voto, diu incolumem, victo-

rem, triumphatorem seruet. Hic Imperator anno 1623. Collegium Societatis IESV à Ferdinando I. fundatum pro suprema sua potestate membris Academiæ, adnexuit, priorum Ducum, Archiducum Austriæ, Regum Romanorum atque Cæsarum ptiuilegia denuò sanxit, & vt nouus adderetur splendor, Templum Academiæ, Scholasque Societatis IESV à fundamentis excitari voluit; & templum quidem Academicum Symmetria, amplitudine, forma, Cæsare dignum iam suis partibus constat, neque reliqua ædificia impigrè assurgent, si modo superi temporaq; siuerint. Est autem Academiæ totius, dum scribo, hæc facies ac ferè status, qui certè si tumultuantium armorum tristissimæ tempestates spectentur, æstimari potest lętus ac fœlix.

Nobiles atque Excellentes artium & Philosophiæ Magistros recenset plurimos; quibus eruditio ipsa,

ipsa, etsi alioqui genere obscuris, claritudinem, ius armorum, atque insignium, verique nominis nobilitatem ex speciali Imperatorum priuilegio indidit in seros etiam nepotes transmittendam. Itaque quot in artisticæ facultatis senatu sedent, tot ibi videas viros Nobiles, vt minus mirum sit in eo Magistratu, nonnunquam spectari non modo insignes Cathedralis Ecclesiæ sancti Stephani Canonicos, sed etiam quosdam Sacrorum Antistites. Medicinæ excellentissimos Doctores numerat hęc Ciuitas non pauciores triginta, quorum 17. de consilio sunt Medicæ facultatis, atque ex ijs duo aulici, vnus præterea ipsius Cęsaris, medicos agunt maxima cum laude. Iurisperitos Doctores recenset Academia duos supra triginta, viros profectò clarissimos, plerosque etiam Magnificos, quo ex numero nonnulli partim in concilio intimo, partim in Excelsi Regimi-

nis Curia, Cancellarij aut Conſiliarij Cęſareæ S. Maieſtatis, alij in ampliſſimo Auſtriæ inferioris ſenatu à Conſilijs, ab aduocationibus, aut patrocinijs rem nauant patriæ ſalutarem, ſibi, Academiæque Viennenſi perhonorificam. Denique ex Admodum Reuerendis Dominis qui ſupremam Theologię lauream ſunt indepti, hodiéque 20. ad Concilium facultatis Theologicę pertinent, ex quibus duo nuper in hac Academia infulam ſacro ritu accepere. Illuſtriſſimi Reuerendiſſimíq; Domini Epiſcopus Neoſtadienſis & Abbas Kettwicenſis. Patere te hoc in choro videri Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Princeps Epiſcope Viennenſis Cremiplanenſis Cœnobij Antiſtes; cui debet hęc Academia plurimum, quod promeritum alibi Doctoratus pileum, nuſquam honorificentius quam apud nos collocare te poſſe exiſtimaſti. Porrò ſub horum Ducum auſpicijs ac ſignis artium,

artium, Philosophiç superiorumque artium Discipuli militant, flos Austriacæ atque exteræ Iuuentutis, mille supra ducentos, ex vnguibus discę Aquilam, Solæ Scholæ inferiorum artium in Collegio Societatis Academico adolescentes iuuenesque educunt, genere ac domo nobiles circiter quadringentos, in his Principem vnum, Marchiones duos, Comites nouem, Barones triginta, Prouinciales totidem. Quæ omnia si retrò ad suum caput per quadringentos ferè annos reducantur, nemo omnium erit opinor, qui non fateatur Viennensem Academiam à suis fundamentis antiquissimam, à suis verò fundatoribus Archiducalem non modo, sed semper Cæsaream, semper Augustam extitisse: adeò vt meritò in controuersiam vocari possit an Augustissimi Archiduces digniores fuerint tam nobili Academia, quam tam nobilis Academia Archidu-

chiducibus Auſtriæ tam Auguſtis? Quare reliqua quæ ad dignitatem celebritatemque ſpectant, etſi prolixè ac præclarè exaggerari poſſent, quod à quouis limati iudicij viro facilè ex ſuperioribus intelligantur, in breue deinceps compendium epitomenque contraham. De ſtatutis vniuerſim id affirmari ſat eſt Academiarum Athenienſis, Romanæ, Pariſienſis ſuccum eſſe ac medullam: Priuilegia maximis Cæſaribus, ſummis Pontificibus, à quibus conceſſa confirmataque ſunt digna omninò videri: Summa eorum hęc eſt. Academiæ Princeps in publicis itionibus proximum ab Auſtriæ Archiducibus locum teneat. Quæ Academicus Magiſtratus ſtatuerit, decreuerit, ſanxerit, ius & lex ſunto. Cauſarum etiam capitalium Tribunal, item vitæ ac necis poteſtas penes eundem eſto. Academici priuilegijs ciuium gaudento, oneribus eximuntor. Ne quid

Reſpub.

Reſpub. literaria in ſuis Iuribus aut priuilegijs noxæ vel detrimenti capiat, Summi viri cuſtodes, conſeruatoreſque dantor, atque hi vigilanto. Cum ciuicus Magiſtratus in Curia excelſi Regiminis renunciabitur, ſoli Rectori inter Conſiliarios circumſtante reliqua corona, ſedendi fas locuſque conceduntor. Atque hæc aliaque Priuilegia, ipſe Princeps eo tempore quo Auſtriæ poſſeſſionem ſolemni ritu init, ab Academia ſalutatus, rogatuſque datâ Rectori manu ſanctè ſpondet curaturum ſe, vt qua conceſſa ſunt fide, ſincerâ, integráque conſeruentur. Quæ conſequuntur facient etiam nonnihil fortaſſis ad Academiæ dignitatem, atque commendationem. Doctores ſuperiorum facultatum in S. Stephani Baſilica qui locus non modo ſacer, ſed ampliſſimus ornatiſſimuſque eſt, ſuorum honorum titulis atque inſignibus decorantur: ſingulæ facultates è

Cœlitum

Cœlitum numero Diuum ſuum Tutelarem, ſingulæ Nationes ſuum in eâdem ęde, ſolemnibus ſacrificijs, latiniſque orationibus propriè ſibi colendum delegerunt, piorum hominum munificis largitionibus Bibliotheca locupletiſſimè inſtructa, ſtipendia, contubernia, ſeminaria, erecta conſtituraque, quibus rebus pauperes ſe ſuáque ſtudia ſuſtentent atque commodius in literarum virtutumque palæſtra exerceantur. Atque hic mihi in mentem redit & propè lacrhymas triſti commemoratione excitat Noſocomium illud Xenodochiumque S. Sebaſtiano dedicatum, quod cum æde ſacrâ honorificè ab Academia in ſubvrbijs extructum, ęgris peregriniſq; diſcipulis recipiendis olim ſtetit, & vtinam etiamnum ſtaret. Verùm Auſtriacæ pietatis nobile illud monumentum poſt iniectas in vrbis obſidione ab impietate Turcica ſacrilegas flammas iam in

ſuis

ſuis cineribus iacet. O ſi poſteri ſaltem collapſam miſerorum ſedem denuò erigerent! non deeſſent fortè alibi, qui Viennenſium iſtam verè Chriſtianam humanitatem pari in pauperes ſtudio imitarentur. Nondum dixi Viennenſem Academiam duarum celeberrimarum Ingolſtadienſis & Triburgenſis matrem ſe eſſe meritò gloriari. Nihil de verbis atque Academiæ amœniſſimo ſaluberrimóque ſitu, rerum omnium copia, morumque cultu commemoro. Omitto ſalutationes, adgratulationes, orationes ſæpeſçpius honorificè ſuſceptas & cum plauſu habitas in aduentu, Comitijs, inauguratione virorum Principum, Regum, Imperatorum. Omitto præterea numeratò reponere eos, qui ſui nominis atque amplitudinis ſplendore plurimum lucis atque celebritatis Academiç contulerunt, quam ſcenam ſi per otium adornare vellem producerem primum eos,

qui

qui ex totius orbis Chriſtiani oris buccinatrice fama exciti in hoc ſapientiæ theatrum ſtudiorum cauſa conſcenderunt, Duces, Archiduces, Principes, Marchiones, Barones, Epiſcopos, Abbates, atque ex purpuratorum Patrum ſenatu nonnullos: in altero deinde actu prodirent Legati, Medici, Conſiliarij, Cancellarij, Magiſtratuum, Principum, Regum, Cæſarum, alijque cuiuſuis ordinis ſummi viri qui ex hoc ſtudiorum Circo, vti ex Palladio inſtructiſſimi milites, ad patriam ac Religionem ornandam, propugnandam euaſere: qua in corona interiores ſtarent duo è gente Piccolhominea pij æquè ac Magni Pontifices Pius II. & Pius III. ſuperioris è ſorore nepos. Hic primis in annis literarum pietatiſque lacteos imbres Viennæ ſuxit, alter autem Orator ad Fridericum Imperatorem miſſus, tantum dexteritate ingenij

genij valuit, vt coronâ Poëtica donatus, inter Principes Cæsarei senatus adscitus sit. Denique in actu vltimo intra proscenium spectarentur omni scientiarum laude præstantissimi scriptores, Laureati Poëtæ, Palmares Oratores, inter insignes Philosophos excellentes Mathematici, expertissimi Medici, Prudentissimi Iurisconsulti, Summi Theologi.

Verùm neque apparandæ huius magnificentissimæ actionis choragium suscepi quod negotium maioris est operæ; neque mei est huius instituti, qui leuiter tantum adumbratam Viennensis Academiæ effigiém in frontispicio operis spectari non ipsum ædificium ex ea materia perficere institui. Abi igitur nunc, Candide Lector, quo voles: indulgeas autem velim affectui in hanc Academiam meo, si te diusculè

& quam

& quam volebas, molestiùs, aliò nimirùm properantem Viennæ detinui. VALE.

PRÆ-